

IOANNES GRITSCH BASILIENSIS.



Ioannes Gritsch Basileæ natus & educatus fuit. Is amore literarum hinc inde ad Academias profectus, magnam in philosophia & Theologia eruditio nem nactus est. erat enim præstanti ingenio, atq; singulari facundia præditus. postea etiam iuri Canonico incubuit, atq; magnam laudem inde adeptus est. Cum autem huius seculi fastum spe uitæ æternæ contemneret, in patriam reuersus ordinem fratrum minorum assumpsit, atq; eius monasterij monachos ad uirtutes & literarum studia adhortatus est. Erat eo tempore Concilium Basiliense inchoatum. Itaq; factum, cum ipse concionibus sui ordinis præficeretur, ut ob insignem fidei ardorem & sermonum elegantiam breui ab omnibus doctis & pijs hominibus amaretur & susciperetur, scripsit etiam Verbi prædicatoribus (prout ea turbata tempora ferebant) non spernenda opuscula, quibus nominis sui memoriam posteris commendauit. utpote Sermones de tempore & sanctis. item Conci ones Quadragesimæ, & librum de Passione Domini, cum alijs. floruit temporibus Sigismundi Cæsaris, anno millesimo quadrin gentesimo tricesimoprimo. Trit,